



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-559056-p0001-2

DFG

1501.



Dissertatio Politica
DE
VARIIS RERUM
PUBLICARUM FORMIS,
ET QUÆNAM EARUM SIT
OMNIUM OPTIMA ET
PRÆSTANTISSIMA,
Quam

FAVENTE DIVINO NUMINE
PRÆSIDE

M. JOHANN E

HACKEMANNO

Philosophiæ Professore Extraordinario

In Illustri Academia Hasso-Schaumburgica

Publicæ disquisitioni subjicit

LEVIN ADAM HAKE

Nobil: Brauns:

AUTOR & RESPONDENS.

In Auditorio Majori

Ad Diem 3. Januar. c^o I^oc LXIII.

RINTHELI, Typis viduae Luciane.

Serenissimi ac Celsissimi Principis & Domini
Domini Georgii Wilhelmi,

Ducis Brunsv. ac Lunæb. Domini mei Clementissimi.

Confiliariis Intimis

Viris Magnificis, Generosis ac maximè strenuis

Dn. Paulo Joachimo à Bülow,
in Abbensen & Blelemb.

Dn. Hieronymo à Grapendorff,

In Schockmühlen, Lahr, Sehitz & Möringen,

Illius Regiminis Præsidi, huic ibidem Aulæ-Mareschallo

UT ET

Reverendissimi ac Serenissimi Principis & Domini

Domini Ernesti Augusti,

Episcopi Osnabrugensis, Ducis Brunsvicensis & Lunæburgensis

Dn. mei itidem clementissimi

Consiliario intimo ac Aulæ-Mareschallo

Dn. Georgio Christophoro

ab Hammerstein, In Eckfurt & Hasperde.

Dn. Johanni Wilcken Haken,

Summo Mineralium Præfecto ac Leostadiens. Satrapæ

in Ohr ac Freinstein

HÆREDITARIIS DOMINIS.

Dn. Patronis, Avunculis, Parenti ac fætoribus meis magnis,

Magno honoris ac amoris cultu etatem prosequendis

Has studii sui Academici primitias offert dicat & consecrat

AUTOR & RESPONDENS.





I. N. f.

THESIS I.



Um per definitionem singula cognoscamus,
dicente Philosopho 3. *Metaph.* c. 2. & omnis,
quæ à ratione de aliqua re suscipitur institu-
tio, à definitione debeat proficiisci, teste Ci-
cerone 1. *offic.* Rectè, & secundum justæ me-
thodi leges à me fieri puto, si antequam divisionem Reipubli-
cæ aggrediar, omissis ambagibus, à definitione ejus, quo nomi-
ne illa potissimum veniat, Disputationis hujus primordium
petam.

II.

Est autem Respubl. generaliter pro quavis Republicæ
formâ sumpta, quemadmodum à Philosopho 1. 3. *polit.* c. 4.
describitur, *ordo civitatis cum aliorum magistratum, tum præ-*
cipuè illius, qui summam potestatem habet. Quibus verbis non
nulli finem addunt: *Vtilitatis gratia.* Lib. 3. pol. c. 1. paulò ali-
ter eam definit, *quod nimis sit ordo eorum, qui civitatem*
inhabitant.

III.

Utramque definitionem, prout ab Aristotele traditur, in-
sufficientia alicuius accusare non veretur vir magni nominis.

A 2

Et qui-

ΣΗΜΩΝΙΑ ΡΩΜΑ

Et quidem priorem exco, quod Reipubl. definit ex solo ordine magistratum, nulla facta mentione subditorum. Jam verò ordo dicit respectum quandam non inter cives tantum mutuum; sed potissimum inter parentes & imperantes. Debebat ergo àque parentium ac imperantium in data definitione mentio fieri. Posteriorē verò incommodam & insufficientem esse dicit ob verbum inhabitare, quod justo durius ipsi videtur, tum quia non civitatem inhabitamus, sed urbem, tum quia inhabitatio ad civitatem præcisè non requiritur.

IV.

Utrumque dubium responsum maxime dignum existimamus, quamvis neutrum definitioni Aristotelicæ quicquam obsit vel deroget. Id quod clarius patebit, si juxta rectarationis bilancem singula expenderimus verba. Utraque enim earum suo constat genere & differentia, quibus duobus definitioni rei in schola Philosophorum absolvitur. In cuiusvis enim rei naturâ explicandâ ad duos hosce potissimum respiciimus conceptus, communem scilicet seu eum, in quo res cum aliis convenit, & proprium seu eum, per quem res ab aliis distinguitur; sicut, qui naturam hominis vult exponere, illud præstat, dum duos, quos essentia hominis includit conceptus adducit, communem, in quo homo cum brutis convenit, qui est animal, & proprium, in quo homo à brutis distinguitur, qui est rationale. Merito igitur naturam Reipubl. Philosophus explicaturus duos quoque illos conceptus, communem nempe seu genericum, & proprium seu eum, per quem Respubl. in esse specifico constituitur, & ab aliis rebus distinguitur in adductis illis definitionibus, vel si maiis, descriptionibus, attendit.

Genus

V.

Genus definitionis rectissime ab Aristotele ponitur τάξις, quam quidem vocem alii per descriptionem, alii per institutionem, alii aliter fuerunt interpretati, verum quia hæc vocabula modum quandam & productionem implicant, quæ formæ, quatenus forma est, minime convenit: ideo longè rectius vox hæc per ordinem redditur, quomodo eandē quoq; Magnus Conringius in Disput. de Republ. in genere §. 24. & B. Slevogt in disputatione de civitate §. 10. & alii reddiderunt.

VI.

Cùm autem non omnis ordo formam Reipubl. constituat, ideo Philosophus quoque proprium ejus conceptum adducit, quo ipso hoc genus coarctat, illudq; per certam differentiam restringit, dum dicit, quòd sit ordo civitatis, aliorumque magistratum, & maximè illius, qui summam potestatem habet. Quæ differentia desumpta est à proximo & immediato Reipubl. subiecto, quod est civitas. Civitatis autem nomine intelliguntur omnes omnino cives, tam illi, qui præsunt & imperant, quam illi, qui subsunt & parent, quemadmodū celebriores politici id exponere solent. Et cum duplices in Republ. inveniantur magistratus, supremi nimirum & subordinati; Aristoteles ordinem illum ad unum primum, à quo cetera omnia dependeant, neimpè ad caput reipublicæ vel eum, qui summam habet potestatem, refert.

VII.

Unde patet, Philosophum cùm rem publicam dicit ordinem Magistratum, & maximè illius, qui Majestatem habet;

A 3

NON

non tantum eos respicere, qui regimini præfunt, vel penes quos est summa potestas, sed etiam aliorum civium, ut parentium maximè rationem habere. Quamvis autem explicitè *καὶ τὰ τὸ πντὸν parentium mentionem hic non faciat, implicitè* tamen & secundum sensum hoc fecit, quemadmodum facile ex eo colligere licet, dum nullibi terrarum ejusmodi Rempubl. datur vel dari potest, ubi omnes cives sint imperantes, & quidem seorsim & singuli; parentes vero nulli.

VIII.

Ad posterius dubium, quod circa vocabulum inhabitare movetur; facilis est responsio, illud sc. in sua origine non tantum habitare, vel inhabitare, sed etiam degere alicubi, vel inter aliquos; significat. Si igitur quempiam vox illa offenseret, poterit aliam ejus loco substituere e. g. vel esse, vel degere, vel ejusmodi aliam, ita ut sensus definitionis sit, Rempubl. esse ordinem eorum, qui sunt vel degunt in civitate. Jam illa forsitan commodior & omni difficultate vel offensione libera-
ta videbitur.

IX.

Minus igitur rectè Bodinus & alii rempubl. definiunt per ipsum coetum l. multitudinem civium, in qua definitione subjectum in casu recto prædicatur de forma, quod omnino vitiosum est.

X.

Definitionis succedunt reipubl. distinctiones vel divisiones: quarum tres potissimum recensentur. 1. Ratione finis ab Aristotele dividitur in rectam & corruptam. 2. Ratione personarum, cum potestas summa nunc sit penes unum, ubi

fig

fit Monarchia & Tyrannis, nunc penes uno plures, eosque paucos, ubi fit Aristocratis. Oligarchia, nunc verò penes populum, & omnes reipubl. cives, ubi fit Politia. Democratia.

X I.

Nonnulli quidem dispescunt Remp. in Monocratiam & Policratiam, & hanc rursus in paucorum & populi regimen subdividunt. Hoc quidem non omnino est absurdum; fit ramen paulò inconcinnius, & tres nihilominus in effectu manent species ultimæ, si quis eas immideatè numeret. Sæpe autem contingit, ut prætermisis membris magis immediatis, divisio illa statim afferatur, quæ ad institutum plus facit, & celebrior est ac utilior, quam altera, quæ magis est immediata, prout docet Hornejus exercit. logic. i. th. 69.

X II.

Alii cum Machiavello lib. i. disp. c. 2. & Caso in sphær. l. 3. c. 5. q. 1. sex faciunt Rerum publicarum formas, nempe tres rectas & bene constitutas, totidemque defectus & aberrantes, singulis oppositas. Nos hoc loco, omissis corruptis rebus publicis, quas Aristoteles lib. 3. polit. c. 6. παρεβάσεις καὶ φθορᾶς nominat, de iis potissimum agere instituimus, quarum beneficio civitas optimè regitur, atque fœlix ac beata evadit. Sunt autem ac manent ratione numeri tres distinctæ rerum publicarum formæ, non pauciores, nec plures, quemadmodum communiter Politici docent.

X III.

Ratione concursus diversarum Reipubl. formarum, tertio distingu solet in simplicem & mixtam. Illa dicitur, ubi sum-

Summa potestas penes unum vel penes uno plures indivisim est. Hæc verò, in qua summa potestas est penes uno plures divisim: Cujus distinctionis fundamentum est divisio & indivisio summæ potestatis, quam tamen Bodinus lib. 2. de Republ. c. 1. & Bornitius lib. 1. part. polit. 1. destruere conantur, qui præter enumeratas tres Reipubl. formas rectas, & totidem corruptas simplices nullas omnino alias agnoscunt.

XIV.

Bodini argumenta, quibus omnem Rempublicam mixtam oppugnat, potissimum hæc duo sunt: quorum prius ita se habet; Si datur Respubl. ex duabus mixta, tunc necesse est, aut utramque in ipsa mixtione superstitem manere, aut utramque perire, aut tandem unam manere, alteram perire, sed neutrum dici potest, non primum, quia sic non haberes unam Rempubl. mixtam, sed duas simplices discretas, nec secundum & tertium dici potest, quoniam id, quod non est, nec cum eo quod est, nec cum alio, quod & ipsum non est, misceri & coalescere potest. Ergo planè non datur Respubl. mixta. Posterius ipsius argumentum negat ipsum fundamentum datæ distinctionis, estque tale. Quicquid consistit in indivisiibili, illud frustra dicitur dividi posse, i. divisim esse in Republ. mixta; sed summa potestas seu majestas consistit in indivisiibili, ergo frustra dicitur eam dividi posse, i. divisim esse in Republ. mixta. Major est vera, Minor videtur probari posse ex ipsa definitione Majestatis, quia Majestas est summa in civitate potestas. Ergo non patiuntur separationem jura Majestatis, salva manente ipsa Majestate.

XV.

Verum hæc Bodini argumenta, receptam haec tenus in scholis

Echolis Politicorum sententiam minime expugnant, etiamsi ex ipsius opinione eam acriter oppugnare videantur. Quantum enim ad prius, respondeamus; Esse in Majori insufficien-tem partium distinctionis enumerationem, adeoque dari ad-huc membrum quartum hoc modo: Si datur Respubl. mixta, tunc aut utraque simplex manet in mixtione, aut utraque perit, aut una manet, & altera perit, aut tandem utraque par-tim manet, partim non manet. Jam tribus illis membris remotis, assumimus nos quartū. Nam in mixtione Physicā etiam hoc verissimum est, ut miscibilia, vel ad mixtionem concurrentia, partim maneant, partim verò non maneant, sed intereant. Quod idem etiam in Respubl. mixta persimilitudinem fieri dicimus. Quomodo autem Republicæ simplices in mixta partim maneant, partim verò non maneant, ex compendiis l. sistematibus politicis undique notum est.

XVI.

Quantum ad posterius Bodini argumentum, negatur in illo propositio Minor; quæ ut rectè intelligatur, sciendum est, Majestatem, quæ Bodino indivisibilis est vel esse dicitur, posse considerari dupliciter: 1. Ratione superioritatis, & in longitudine, quemadmodum recentiores politici loquuntur, ut Doct. Thom: & alii. 2. ratione objectorum, & in latitudine. In longitudine, & ratione superioritatis si consideretur, hoc est, quatenus superiorem non agnoscit; sicuti nullas habet partes, ita nec dividi in partes potest. Atq; ita rectè dicitur indivisi-bilis. Quod si v. in latitudine & ratione objectorum illa con-sideretur, statuitur ea communiter esset totum potestativū, quia ex pluribus partibus, saltem potestativis constat, quæ alias jura Majestatis dicuntur. Et illa omnino hoc modo dividi potest,

B

cū

cum dari possit Respubl. ubi summa potestatis partes, seu jura Majestatis ita sint distributa, ut v. g. penes Plebem sit summa potestas, sive jus eligendi magistratus, provocationis extre. max &c. Nobilibus autem conveniat jus supremum armo- rum, pacis & foederum pangendorum: Divitibus tandem jus deliberandi de rebus importandis & exportandis, de vecti- galibus, ærario &c. Ubi sanè negare nemo potest, esse hoc loco divisam Majestatem, vel esse eam divisim penes uno plures, ut ita omnino frusta sit Bodinus, qui hoc ipsum tanto conatu negare audet.

XVII.

Nihil igitur impedit, quo minus status aliquis ex di- verso imperii genere, & pluribus gubernationum formis componatur; quemadmodum hactenus fieri, & ita Res- publ. mixtas actu ipso existere videmus. Exinde tamen cum Sturcio, Kirchnero & aliis temerè afferendum non judicamus, nullas unquam ab ortu mundi Respublicas puras fuisse. Nam plerumque in ejusmodi Rerum publicarum mix- tione, quā adduximus, una aliqua forma præponderat, secun- dum cuius præminentiam, tanquam à potiori totus Reipub. status denominatur. Verūm utut Respubl. mixta à formā prædominantē nō mē capiat simplicis Reipubl. quando popu- lariter loquimur; non est tamen reverā simplex, sed est & ma- net ex pluribus formis composita, si rem ipsam respiciamus, & recte judicemus. Atqui hæc obiter de mixtis rebus publicis, quarum natura plenius intelligi potest ex accurata cognitione simpliciū, unde coalescere solent,

De



XVIII.

De cœtero inter simplices rectas prima est Regnum; ubi unus aliquis solus habens summam omnium rerum gerendarum potestatem, reliquis non nisi obsequii gloriam relinquit. Græcè Monarchia dicitur. Quo nomine aliâs indigitari solent quatuor illa imperia, de quibus accipitur vaticinium Dan.c.2.& cap. 7. quæ να? ἐξοχὴν quatuor Monarchiæ vocantur, quia fuerunt insignes Respubl. quarum inter reliqua mundi imperia singulis temporibus maxima fuit autoritas, & quibus ecclesiæ fata præcipue fuerunt conjuncta. Nobis Monarchia h. l. denotat certain Reip. speciem, in qua summa rerum penes unum residet: id quod etiam nominis etymo congruit. Ex quo facile colligitur, Monarcham esse consortis impatientem, adeoque nec duumviratum, nec triumviratum dici posse Monarchiam. Vid. Bodinus lib. I. de Rep. cap. 2. Schonbornerus s. Pol. cap. I. Arnæsus Pol. c. 9. lib. I.

XIX.

Altera forma reip. est Aristocratia, *in quâ plures civitati præsunt* quam unus; pauciores tamen quam populus universus. Pauci illi, penes quos est τὸ κύεσθαι, in genere possunt dici proceres & primores. Si verò cœtus ille procedrum constat ex civibus omnium optimis, qui ex virtute spequantur, & optimè imperant; vocantur optimates, & ipsa Respubl. græco nomine Aristocratiæ insignitur, quod nihil aliud sonat, quam optimatum regimen. Atque hanc Aristocratiam semper intendit Politicus, ubiunque civitatem paucorum imperio gubernandam esse judicat. Ordo autem, quem fecit Reipubl. genus inter cives ratione imperii & subjectionis

politicae, consistit in eo, ut coetus procerum habeat summam potestatem; reliqui vero omnes, & singuli etiam proceres, seorsim spectati, sint subditi.

XX.

Tertia forma est popolare imperium, quod Politia graecis dicitur. In hac republ. summam potestatem habet universus populus, sive tota civitas, quae extremum regnandi jus sibi retinuit, & nulli personae vel coeti abdicative contulit. Parte igitur imperantem constituit ipse populus, non magistratus popularis, quippe qui dependet a populo, & ei omnium suorum actuum rationem reddere tenetur; a cuius sententia ad populum appellatur; qui que apud populum accusari, dignitate a beo privari, & morte mulctari potest. Neque enim externa reipubl. administratio cum ipso jure imperii confundenda est. Solet quidem administrari Politia vel per principem, vel per Senatum, ne totus populus necessum habeat quotidiè convenire comitiis celebrandis: summum tamen imperium nihilominus est, & manet penes populum. Ipse magistratus popularis est subditus populi, itemque singuli de populo. Hic est ordo Politiae, cui nihil obstat, quo minus veram constitutam reipubl. Frustra sane affertur, quod ubi omnes imperant, nemo sit, qui pareat. Evidem contra reipubl. naturam est, ut parentes in ea desint, cum sit ordo inter imperantes & parentes, adeoque haec duo membra necessaria requirat. Vid. Aristotelem i. Pol. 3. & Bodinum 6. de reipubl. c. i. Imperium quoque non potest se exerere, nisi in subditos. Et patet, non reipubl. sed anarchiam esse, ubi omnes imperare volunt, nemo parere. Ad dubium igitur facit.

facilis est responsio, si dicas : Imperant omnes cives in Politiā collectivē sumpti; parent verò singuli magistratibus & collegiis, populi autoritate constitutis.

XXI.

Adductis jam variis Rerum publicarum formis, disquiri non immeritò solet, quænam ex illis enumeratis & explicatis rectis sit omnium optima & præstantissima? Quæ quæstio, ut rectè exponatur, sciendum est, posse eam duplíciter accipi ; 1. Absolutè & sine ullo respectu ad hanc vel illam civitatem, ad hunc l. illum populum, 2. Hypotheticè & cum certo respectu ad hunc l. illum populum. Quod si quæstio hæc posteriori modo accipiatur & intelligatur ; tunc probè consideranda sunt, uniuscujusq; populi natura, ingenium, & mores: Item virtutes singulorum , in illo populo degentium, probè veniunt considerandæ. Quod si enim in illo populo unus præ reliquis omnibus maximè virtute & prudentiâ excellat, tum convenientissima huic populo Reipubl. forma erit Regnum. Quod si uno plures excellant virtute, pauci tamen adhuc sint, si ad totam multitudinem referantur; tunc convenientissima erit forma Aristocracia. Si verò omnes aut plerique saltem virtuosi sint, quod tamen vix fieri potest, erit tunc his Politia maximè conveniens.

XXII.

Quod si verò quæstio hæc absolute intelligatur; tunc Autores in diversas plane abeunt sententias, & alii Regnum, alii Aristocratiam optimam Reipubl. formam esse contendunt. Pro

B 5

regno

regno pugnant Arnisæus Polit. lib. i. c. 9. Reinh. König parte prima. c. 10. Bodin. libro. 6. de Republ. c. 1. Adam Contzen, alii-que plures, quos longo ordine Heiderus recenset Polit. civ. c. 6. Hi Monarchiam commendant 1. ab antiquitate, cum tam sa-
cræ, quam profanæ historiæ undique testentur, priores & anti-
quiores Reipubl. formas esse regias : imò oriri eam dicunt ex
ipso naturali societatum humanarum progressu, quemadmo-
dum docent Aristoteles lib. I. Polit. c. 1. & ad eum locum Mi-
chael Piccartus, itemque Arnisæus, lib. 2. de Republ. cap. 2.
sect. I. 4. quoniam primum parentem numerosus ex eo descen-
dens natorum, & qui ex his nati sunt, populus, pro rege habuit &
observavit, ut primum sui generis auctorem. Ad hoc instar
reges postea alios nihil pertinentes ad genus, stirpemque & co-
gnationem primorum, à gentibus electos. I. sumptos liquet, à qui-
bus regerentur, & quos pro patribus colerent, qui & patriæ pa-
tres exinde nuncupati sunt, uti scribit Autor anonymus
in defensione regia pro Carolo I. Magnæ Britanniæ Rege
cap. I. pag. 21. Justinus sic orditum historiam suam : *Princi-
pio rerum gentium, nationumque omnium imperium penes Re-
ges erat &c.* Idemque docent Isocrates in Panath: & de Græ-
cis civitatibus Halycarnass. lib. 5. Cicero ait lib. 3. de LL.
Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Ægy-
ptios certè, Assyrios, Chaldaeos, Æthiopes, Moabitas, Ammo-
nitas, Edonitas aliasque innumeros Asiæ, Europæ & Africæ
populos olim sub regibus vixisse constat. Hinc Israelitæ ad Sa-
muel I. Samuel. IIX. vers. 5. Constitue nobis regem, sicut
universæ habent nationes. Vide etiam Platонem lib. 3. de LL.
Aristotelem 3. pol. I. 10. & 8. Eth. Nicomach. c. 10. Lipsium lib.
2. monit. polit. c. 1. Arnisæum I. sect. n. 2. & sequent.

Ex qui-

XXIII.

Ex quibus omnibus Monarchiæ excellentiam & antiquitatem satis elucere dicunt ejusdem propugnatores. Bodinus autem lib. 2. de Republ. c. 2. Dominatum dicit omnium Rerumpubl. formarum fuisse primam. Et hoc ipsum probat exemplo Nimrodi, cuius omnium primi in sacris literis fit mentio, qui imperium politicum arripuit, hominesque suæ subjecit potestati, unde Tyrannum cum, aut ad minimum Dominum fuisse plerique statuunt. Verum si distinguamus inter originem productionis, & originem approbationis sive confirmationis, certum est, quod priori considerandi modo prior fuerit Dominatus. Tum temporis enim cum Nimrodus Dominatum sibi arriperet, nulla adhuc fuere regna. Prioritate igitur temporis, & existentiæ Dominatum priorem fuisse, nemo facile ibit inficias. Prioritatem autem naturæ & existentiæ, quemadmodum nonnulli distinguunt, regno non esse denegandam, iidem existimant. Quæ sententia modo jam explicato omnino obtinere videtur. Quod citatum ex Justino locum, & ejusmodi alia concernit, notum est interdum Dominos vel imperantes æquivocè Reges sive Monarchs dici, & vocabulum istud apud historicos sæpenumero ita latè extendi, ut potestate in potius, quam modum ac finem imperandi denotet.

XXIV.

Secundum argumentum, quo communiter probari solet, Monarchiam reliquis Rerumpubl. formis longè esse præferendam, desumitur à constantia & durabilitate. Durabit-

tabiliora enim fuisse regna & Monarchias Aristocratiis, probat Monarchia Assyriorum , quæ juxta historicos 1240. annis; Medorum quæ 260; Persarum, quæ 233. annis inconcussa stetit; Aristocratiæ contra paucæ inveniuntur, quæ ad plures annos imperium perrexerint , unicam Venetianam si excipias, quæ tamen non videtur esse pura Aristocratia , quemadmodum celebres nonnulli politici omnino existimant. Tertium argumentum plerumq; deducitur à concordia & tranquillitate. Sub uno enim capite facilius conservatur unitas & concordia Reipubl. cùm rex à seipso dissidere non possit, ut in optimatum Republicâ. Ubi uno plures imperant, facile oriuntur dissidia , contentiones ac conspirationes, quæ totum statum nonnunquam evertunt ac diruunt. Et quò longius aliqua Reipublicæ forma ab unitate Monarchica recedit, eò magis eam subjacere dicunt altercationibus & turbis civilibus. Hinc Tacitus lib. i histor : *Pacis interest, omnem potestatem in unum conferre.* Et lib. i. Annal: *Discordantis, ait patriæ non aliud remedium est, quam si ab uno regatur.* Multo igitur commodius & pacatus ab uno res geritur, quam à pluribus.

Segnius expedient commissa negotia plures :
 Quod germani s.c. efferunt : *Viel Röche verschaffen den Brüdern.* Romani nascentem ne quidem regere potuisse duos fratres gemellos citra discordiam & æmulationem , nec litem aliter nisi fratricidio fuisse diremptam , refert Florus de gest. Rom. lib. i. c. i. Quartum argumentum tandem à singulari formæ hujus dignitate desumitur. Siquidem Regnum vel Monarchia ipsius Dei imitari videtur imperium. Huic autem , ut summo Universi terrarum orbis Monarchæ quò quid proprius , eò etiam præstantius ac nobilius illud non in merito est astimandum.

Ad

XXV.

Ad quæ omnia varii variè respondere solent, qui pro alia Reipubl. forma pugnare sueverunt. Vide Cellarium lib. 2. Polit. c. 4. §. 20. & Piccart: lib. 3. Polit. cap. 15. quorum uterque Aristocratiam præferre, & imò Philosophum ipsum pro sua sententia citare non dubitat. Rationes eorum, quibus inniti videntur, potiores sunt hæc: 1. Tutius esse imperium Aristocraticum, ubi plures optimates Reipubl. gubernacula tenent, quam regnum, ubi unus tantum imperat. Quod vel ex copiat, dum major est prudentia ac virtus in multis, quam in uno aliquo, juxta illud commune veriverbum: *Oculi plus vident, quam oculus.* 2. Unum quantumvis virtuosum, facilis posse corrumpi, & degenerare in Tyrannum, quam plures optimates, qui à virtutis regia simul omnes tam facile non deflesterent, imò si l. maximè hoc contigeret, ut unus l. alter ex optimatibus erraret, reliquos tamen errantem posse monere, & in viam revocare; Rex autem, si erraret, vix quemquam fore, qui eum debito modo monere auderet, imò cum legibus sit solitus, eum nec benè inonenti esse facile obtemperaturum, cum plures reperiantur, qui principibus magis adulari ac pollicem premere, quam ipsorum malefacta vituperare ac corripere sueverint. 3. Virum bonum, cum ille cœteris maximè sit melior, imperio quoque maximè esse dignum: Jam duos l. plures viros bonos, quos in Aristocratis dari necesse est, uno longè esse meliores, ergo meritò etiam præstare, ut plures optimates imperent, quam unus. Cui tandem accedit, quod ipsi Reges & Monarchæ tot consiliarios, quibus tanquam manibus, oculis & auribus utantur, sibi ad-

C

Sci-

sciscendo quasi publicè confiteantur, se insufficientes esse imperio, & proinde plures rectius præesse posse, quam unum.

XXV.


Quibus iam in medium adductis pro dignitate & excel-
lentia tam Regni, quam Aristocratiæ satis plausibiliter Autores
inter se disputant. Nos autem si verè dicendum, quod res
est, salva tamen manente dissentientium autoritate cum
nonnullis magni nominis Politicis, Regno simul & Aristocra-
tiæ politiam fermè præferemus, eamque inter rectas & sim-
plices Reipubl. formas dicemus omnium optimam ac præ-
stantissimam, eò quod in Politia ubi omnes debent secundum
virtutem imperare; Omnes quoque debeant esse virtuosi ac
boni viri. Jam sanè illa Respubl. ubi omnes boni ac virtu-
te prædicti sunt, extra omne dubium præstabit illis, in quibus
I. unus saltem, I. pauci virtute excellunt. Erit igitur Politia
Respubl. absolute optima, quia materia simul & forma opti-
ma est. Materia populus est, qui debet esse optimus h. e.
optimè, tum naturâ tum usu & doctrinâ instructus. Forma
autem est gubernandi ratio, quæ itidem optima est in Politia.
Quia omnes simul secundum virtutem imperant & publi-
cum bonum respiciunt.

XXIX.

Ubi tamen probè notandum, nos de Politia ita loqui in
idea tantum, eamq; hic considerare, qualis in sua perfectione
esse debeat, non autem qualis nunc forsitan existat, aut existere
possit, si modernòs Imperii status vel Reipubl. formas atten-
damus.



damus. Verum hæc in præsenti de nobilissimâ hâc materiâ
pro ingenii nostri modulo posuisse sufficiat, & si fortè nonnulla
quibusdam dicta videntur, cum quibus non usquequaque
facere videatur veritas, ea tantum abest ut mordicustueamur,
ut potius firmioribus rationibus pugnanti lubentes subscri-
bere non fuerimus veriti.



Decas Corollariorum.

I.

UTrum in statu integritatis
etiam futura fuisse aliquia
Resp? Aff.

II.

Status nostri Imperii Romano-
Germanici aut revera est mix-
tus, ut multa de monarchia &
Ari-

*Aristocratia participet, aut ad
minimum eò propendet.*

*Communio bonorum in civi-
tate hodie non est toleranda.*

*Utrum Christianis licitum
sit bellum gerere? Affirmat.*

*An subdito adversus magi-
stratum bellum gerere liceat?
Negatur.*

*Utrum liceat Tyrannum occi-
dere? Negatur.*

An-

^{VII.}
*An principi vel alii fædus ini-
 re liceat cum infideli. R. licet, &
 non licet: diverso tamen respectu.*

^{VIII.}
*An fædus sine causa violare
 liceat? Resp. quod non.*

^{IX.}
*An subditi magistratui, ad
 quodvis bellum vocanti, obtem-
 perare teneantur? Neg.*

^{X.}
*Neque spurii, neque peregrini
 ad reipublicæ gubernacula facile
 sunt admittendi.*

En guter Hafe pflegt sich zeitig anzubeugen/
 Gleich wie die Nessel brennt/sobald sie kommt hervor:
 So hat Herr Hafe sich auch zeitig wollen neigen
 Zur Kunst der Wissenschaft/die manchen bringt empor
 Mehr als die Eytelkeit/drum rühm ich das Beginnen/
 Das ihr vom Regiment so schone Reden führt.
Ey! muntert euren Geist und angeflammte Sinnen
 Hierzu noch weiter auff/weil solches treflich zierte
 Den angebohrnen Glanz/ich wünsch hierzu viel Glück:
 Der Himmel segne dieß so schone Meisterstück.

Gar eylfertig entwarf dieses auf einem Grund-
 wolmeinenden Gemüts

M. J. D.

En rechter Edel Mann / der lässt sich nie vergnügen
 Mit blossem Adelstand/der ihm wird angeerbt/
 Er lässt den Edlen Sinn nicht an der Erden liegen/
 Noch hängt demselben an was nur von aussen färbt/
 Er hasst mit grossem Fleiß von seiner zarten Jugend
 Das faule Laster = Zeug/und strebet nur nach dem/
 Was ihn macht selber groß/als Wissenschaft und Tugend/
 Die einzig ihm den Weg zur Ehre zeigt bequem.
 Dies lehrt Herr Hacke hier mit seinem schönen Streiten
 Von dem Regierungs Stand/wer doch der beste sey?


Fahrt

Fahrt Edler/fahrt so fort/den Adel auß zu breiten
Mit solchem Tugend - Fleiß/der aller Laster frey/
Dann werdet ihr/wils Gott/dem irdnen Roht entnommen
Selbst zum Regieren noch und grösser Ehre kommen.

Glückwünschend setzte dieses mit annoch unge-
übter Feder auff

S. C. von Potthausen.

F I N I S.



23
Gesetz-Gebot der Freyheit und Sicherheit
der Menschen und der Städte
in Sachsen-Anhalt

I I N . I . 8



OO A 6293(1)


ULB Halle
002 925 354

3



Rheo





Farbkarte #13



Dissertatio Politica
DE
VARIIS RERUM
PUBLICARUM FORMIS,
ET QUÆNAM EARUM SIT
OMNIUM OPTIMA ET
PRÆSTANTISSIMA,
Quam
FAVENTE DIVINO NUMINE
PRÆSIDE
M. JOHANN E
HACKEMANNO
Philosophiæ Professore Extraordinario
In Illustri Academia Hasso-Schaumburgica
Publicæ disquisitioni subjiciet
LEVIN ADAM HAKE
Nobil: Brauns:
AUTOR & RESPONDENS.
In Auditorio Majori
Ad Diem 3. Januar. cI C LXIII.
RINTHELI, Typis Vidua Luciana.

